Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 929

Quelle:
Copyright:

tura coeli et terrae quomodo hiſtorialiter ab exordio principii condita ſit, legimus &c. At vero *Literales* hos nemo hactenus produxit, nemo etiam *Allegoricos* in *Eſther*, *Tobiam* et *Judith*, quos intercidiſſe putavit *Fabricius*, latere ſuſpicatus eſt *Oudinus*, adnotavit *Trithemius*. Et en poſteriores hos, en etiam, quos praeter *Trithemium* nemo memorat, *Commentarios Allegoricos in Evangelia*. Sed nempe in quali comitatu? Non eorum Commentariorum in *Pentateuchum*, *Joſue*, *Judicum*, *Esdrae* et *Machabaeorum*, quos impreſſos habemus, quin penitus incognitorum, licet in eosdem Libros. Verum an hi tribuendi *Iſidoro?* Audi praefantem. *In precedentibus premiſſa deſcriptione originis et diſcretionis artium et quorundam aliorum ortum curſum et occaſum omnium regnorum ab initio usque ad nos diſpoſuimus. In ſequentibus autem profundas allegoriarum obſcuritates ſecundum ſubiacentis hiſtorie curſum prius de ueteri teſtamento, deinde de nouo, in quantum preſenti breuitati ſufficere uidetur, elucidabimus.* &c. Niſi me omnia fallunt, *Iſidorum* de Libris ſuis *Originum*, et *Chronico* ſuo loquentem audis, ordinemque deſignantem, quo iis nunc tertium Opus accederet, *Allegoriarum* videlicet *utriusque Teſtamenti*. Effrenis Librariorum veterum in comminiſcendis, corrumpendis, transferendis Operum Titulis licentia non parum omni tempore Literatores exercuit, idque tunc maxime, cum quaedam Materiae adfinitas difficultatem augeret. *Iſidori Liber Prooemiorum, Commentaria in V. T. Allegoriae* Nominum *utriusque Teſtamenti*, quae omnia edita habemus, typica ſunt, et myſtica. Ejusdem naturae Opus eſt, quod habemus prae manibus. Facile igitur fieri potuit, ut inter congenera unum aliquod in Bibliothecas ſe ſubduceret, neque quaereretur amplius a credentibus, ſe jam omnia tenere. Solus *Trithemius* adtentos facere potuiſſet, qui, ut dixi, *Iſidori* Commentaria allegorica in plures Libros biblicos enumerat, quam quidem typis prodita poſſidemus. At vero, quia quaedam typis prodita ſunt, intercidiſſe reliqua cenſuere, neque video, cur illis in mentem veniſſet, *Iſidorum* bina diverſa Commentaria elaboraſſe. Interim res ita ſe habere videtur; Codex enim noſter prorſus ab Editis differt. Praefatiunculae initium dedi. Sequuntur in Vetus Teſtamentum *Libri* IX. quorum contenta verbis Codicis dabo: I. *tractat de myſteriis rerum geſtarum ab inicio usque ad abraham.* II. *ab abraham usque ad moyſen.* III. *a moyſe usque ad yoſue.* IV. *a ioſue usque ad helchanam patrem ſamuelis.* V. *ab helchana usque ad dauid ubi ſcriptum eſt. Scidit dominus hodie regnum tuum a te* &c. VI. *a dauid usque ad ſalomonem.* VII. *a ſalomone usque ad tranſmigracionem babylonis.* VIII. *de myſteriis rerum geſtarum que continentur in esdra.* IX. *que continentur in libro iudith heſter thobie et machabeorum.* Singuli *Libri* in *Capitula* diſcreti ſunt. Novum vero Teſta-